

**βουκολικὸν δακτυλικὸν τετράμετρον /
bucolicus (-um) tetrameter (-trus, -trum)**

SCHOL. VET. in Pind. *Isthm.* 1 (p. 28. 19 sq. Tessier) τὸ δ' δακτυλικὸν τετράμετρον βουκολικόν.

[ACRO] in Hor. *carm.* 1. 4 (I, p. 32. 3 sqq. Keller) ode dicolos est; metrum ithyphallicum dicitur sive archilochium, quia frequenter eo usus est Archilochus. constat prior versus ex parte heroici, quae dicitur bucolice, quia necesse est, ut quartus sit dactylus et tribus troch<a>eis terminetur:

solvitur – acris hi – emps gra – ta vice - veris – et fa - voni.

TER. MAVR. GL VI 388. 2114 sqq.

at si quando pedes fini duo deminentur,
dum ne discidium verbi quarto pede fiat,
hic quoque tetrametrus similis remanere videtur.
sed differt illo, versus quod portio prima est,
illa sequens, aliaque simul quod lege tenetur:
namque haec sola potest carmen componere plenum
nec subiecta aliis dulcis absoluit epodos ...

389. 2123 sqq.

pastorale volet cum quis componere carmen,
tetrametrum absolvat, cui portio demitur ima,
quae solido a verbo poterit conectere versum,
bucolicon siquidem talem voluere vocari.
plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus:
ne graecum immittam versum, mutabo latinum,

(cf. Theocr. 1. 1 sq.)

‘dulce tibi pinus summurmurat, en tibi, pastor,
proxima funticulis; et tu quoque dulcia pangis.’
iugiter hanc legem toto prope carmine servat:
noster rarus eo pastor Maro, sed tamen inquit:

(*buc.* 3. 1 sq.)

‘dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?
non, verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon.’
in tragicis iunxere choris hunc saepe deserti
Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus.
tale dedit nobis Pomponius:

(vv. 8-11 Ribbeck³)

‘pendeat ex umeris dulcis chelys
et numeros edat varios, quibus
adsonet omne virens late nemus,
et tortis errans qui flexibus.’
reddo pedes binos, qui nunc desunt tetrametro:
rursus de mutilo redit integer:

‘pendeat ex umeris dulcis chelys apta choreis
et numeros edat varios, quibus ecce propinquum
adsonet omne virens late nemus arvaque iuxta,
et tortis errans qui flexibus effugit amnis.’

SACERD. GL VI 502. 5 sqq. de dactylico metro. dactylicum metrum omnibus et simplicius et antiquius est, quod dividitur in species XVII: hexametras quidem quattuor, heroicam, bucolicam hexametram, choeriliam, priapeiam ... 10 sq. tetrametras duas, bucolicam tetrametram vel heroicam, anacreontiam.

SACERD. GL VI 512. 24 sqq. de tetrametro bucolico vel heroico. tetrametrum bucolicum octo schemata habet. tres enim pedes primi variantur: nam quartus semper dactylus sit necesse est in bucolico tetrametro. in heroico vero sunt schemata XVI: nam quattuor pedes variantur in tetrametro heroico, sicut exemplis docebimus, de bucolico quidem tetrametro ex libro bucolicorum vel georgicorum, de heroico vero tetrametro de omni corpore Vergilii. tres dactyli, nam quartus <semper> dactylus, <ut>: (Verg. *buc.* 5. 61)

ulla dolum meditantur, amat bonus;

tres spondei et dactylus, ut: (Verg. *buc.* 4. 39)

mutabit merces omnis feret;

duo dactyli, spondeus et dactylus, ut: (Verg. *buc.* 3. 52)

quin age siquid habes in me mora;

dactylus, duo spondei et dactylus, ut: (Verg. *buc.* 5. 18)

iudicio nostro tantum tibi;

dactylus, spondeus, dactylus et dactylus, ut: (Verg. *buc.* 3. 83)

lenta salix feto pecori mihi;

duo spondei, dactylus et dactylus, ut: (Verg. *buc.* 3. 79)

et longum formose vale vale;

spondeus, duo dactyli et dactylus, <ut>: (Verg. *buc.* 3. 44)

et nobis idem Alcimedon duo;

spondeus, dactylus, spondeus et dactylus, ut: (Verg. *buc.* 3. 62)

et me Phoebus amat Phoebosua.

sic ergo bucolicum quidem tetrametrum octo schemata habet, quarto pede semper dactylo, ceteris tribus variatis. heroicum vero tetrametrum, quamvis et ipsum quattuor habeat pedes dactylicos, sicut et illud, tamen schemata habet XVI, quoniam quattuor pedes variati XVI schemata faciunt, quod exemplis docebimus. quattuor dactyli, ut:

sic tibi nulla dies malum inferat;

tres dactyli, spondeus, ut: (Verg. *buc.* 1. 1)

Tityre tu patulae recubans sub;

duo dactyli, duo spondei, ut: (Verg. *buc.* 4. 46)

talia saecla suis dixerunt;

dactylus, tres spondei, ut: (Verg. *buc.* 5. 56)

candidus insuetum miratur;

quattuor spondei, <ut>: (Verg. *georg.* 1. 367)

flammarum longos a tergo;

tres spondei, unus dactylus, ut: (Verg. *georg.* 4. 256)
exportant tectis et tristia;
duo spondei, duo dactyli, <ut>: (Verg. *georg.* 1. 150)
mox et frumentis labor additus;
spondeus, tres dactyli, ut: (Verg. *buc.* 5. 73)
saltantis satyros imitabitur;
dactylus, spondeus, dactylus, spondeus, ut: (Verg. *Aen.* I 8)
Musa mihi causas memora quo;
spondeus, dactylus, spondeus, dactylus, ut: (Verg. *georg.* 1. 362)
clamoremque ferunt ad litora;
spondeus, dactyli duo, spondeus, <ut>: (Verg. *Aen.* I 10)
insignem pietate virum tot;
*** dactylus, spondeus, duo dactyli, ut: (Verg. *georg.* 4. 223)
hinc pecudes armenta virum genus,
spondeus, dactylus, duo spondei, ut: (Verg. *georg.* 1. 245)
circum perque duas in morem,
duo dactyli, spondeus, dactylus, ut: (Verg. *Aen.* VI 17)
Calchidicaque levis tandem super;
duo spondei, dactylus, spondeus, ut: (Verg. *Aen.* I 264)
contundet moresque viris et.

huc usque de bucolico vel heroico tetrametro.

ATIL. FORTVN. GL VI. 303. 18 sq. nunc de epodis, quoniam supra originem
nominis dixi, metra eorum quamquam simplicia sint et intellectu facilia, tamen
breviter excurram ... 29 sqq. (Hor. *epod.* 12. 1 sq.)
quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
munera cur mihi curve tabellas.

primus herous hexameter, sequens tetrameter similiter dactylicus, qui bucoli-
con facit, si illi duos pedes reddas sic:
munera cur mihi curve tabellas omnia plena;

qualis est: (Verg. *buc.* 3. 60)
ab Iove principium Musae, Iovis omnia plena.

SERV. GL IV 466. 23 sqq. de archilochio. archilochium constat tetrametro
bucolico et tribus trochaeis, ut est hoc:
linea piscator tibi concidit in profunda ponti. [C.P.]